



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

36. Misertus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes  
pastorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

36. *Miseratus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oves non habentes pastorem.*

**I**N DVLGET hic iterum suo stomacho ac libidini Calvinus, & in Ecclesie Catholice hierarchiam debacchatur, his verbis. *Eadem hodie in Papatu cernitur vastitas, qui tamen refertus est titularibus pastoribus. Immensa est enim eorum colluies, qui sub nomine Clericatus plebem deglutiunt. Porro quum multi sint canes, non tamen eos pudet suam hierarchiam sonare. Sed audienda vox Christi, quae pronuntiat nullos esse pastores ubi non sunt operarij: vagas & dispersas esse oves quae Euangelij doctrina in Dei ouile non congregantur. Hæc ille. Cæterum non est hoc interpretem agere, sed putidum calumniatorem; nec Scripturas interpretari, sed ad libidinem, & prurimum maledicendi Scripturis abuti. Interim quæ Calvinus mendaciter fingit, in ipsum Calvinum veraciter retorquentur. Eadem quam Christus hic in Phariseis diuinæ legis corruptoribus describit, in Calvinismo cernitur vastitas, qui tamen refertus est titularibus Ministris. Immensa est Calvinistarum colluies, qui sub nomine Euangelij plebem deglutiunt, Ecclesias vastant, animas perdunt, regna subuertunt. Porro quum sint lupi rapaces, fures ac latrones, non tamen eos pudet Ministerium suum Euangelicum sonare. Sed audienda vox Christi, & serio audienda, nullos esse Pastores ubi non sunt operarij: operarij autem quos Deus mittit in messem suam (quod Calvinus alto hic premit silentio) operarij (vt Apostolus loquitur) *inconfusibiles ἀνεπισημοί*, qui ita operantur vt operis non pudeat aut peniteat postea, operarij recte tractantes *verbum veritatis*, operarij non adulterantes verbum Dei.*

Deni-

Calumniis  
contra  
clerum in  
Caluinum  
retorque-  
tur.

2. Tim.  
2. 15.  
2. Cor.  
3. 17.

Deiique operarij non subdoli, transfigurantes se in <sup>2. Cor. 11</sup>  
 Apostolos & novos Euangelistas, qualem se Calu<sup>13.</sup>  
 nus profiteretur. Postremo vagas & dispersas oues  
 esse, quæ deserta Ecclesia Catholica, vnico ouili  
 Christi, non Euangelij doctrina in ouile Dei  
 congregantur, sed sub Euangelicæ doctrinæ titu-  
 lo in varias penèque innumeras sectas distrahun-  
 tur. Catholicæ verò Ecclesiæ hoc tempore pa-  
 flores non fuisse penitus canes mutos, nulli me-  
 lius quàm Gallia Calvinistæ nosse & meminisse  
 possunt: quosita vocales in primarijs regni illius  
 viribus senserunt, vt hoc vno maxime post Deū  
 medio, ab illius nobilissimi Regni diademate  
 depulsi & abacti per annos quàm plurimos fue-  
 rint; nec nisi sub pelle Catholico regnent, qui  
 hactenus ibi regnarunt.

## IN MATTHÆI CAP. 10.

## 2. Primus Simon qui dicitur Petrus.

**P**ETRI supra ceteros Apostolos primatū <sup>Petri pri-</sup>  
 hic locus manifestè docet. Neq; enim vel <sup>matius.</sup>  
 etate vel vocatione prim<sup>o</sup> erat, sed in vtro-  
 que Andreas eū præcessit; deinde à tribus Euāge-  
 listis Matthæo hic, Marc. 3. Luc. 6. qui Apostolos  
 ordine recēsent, semper primus ponitur, aliorum  
 Apostolorum ordine non seruato. Nam hic qui-  
 dem Andreas, apud Marcum Iacobus secundo  
 loco ponitur. Rursum, vt Marcus narrat, hoc de-  
 mum tempore, *imposuit Christus Simoni nomen, vt vo-*  
*caretur Petrus, id est, Caput: hoc inquam tempo-*  
*re quo 12. Apostolos designat; vt eodem momen-*  
*to de capite vicario prospiceret, quo de membris.*  
 Tergi-